IOANNIS Pannonii Episcopi quinq; Ecclesiarũ, Poetæ & Oratoris clarissimi Panegyricus: in laudẽ Baptistæ Guarini Veronẽsis Præceptoris sui conditus.



Paulus Crosnēsis Ruthenus Inclyto & magnifico dño Gabrieli Pereņo
Cubiculario℞ Regaliū magistro,& Comiti Vgochensi,ac Mara-
marusiēsi dño,&patrono suo gratiosissimo. S. D. P.

QVOM tuā incredibilē in me hūanitatē,uel potius pietatē,ac munificē-
tiā dñe magnifice,& patrone mihi ꝑpetuo obseruāde cōsydero,q̄ re tuis
in me meritis gratas aliq̄n referā grās/certe nescio. Tm̄.n.me tibi debere
fateor,quātū nunq̄ ꝑsoluere potero. Nullę nāq; mihi sūt possessiōes,nulli
diuitia℞ cumuli,nullaq; opū,ac p̄ciosa℞ rerū gazophylatia,nec tua ma-
gnificētia re ulla indiget,sola bn̄faciēdi cōtenta/lœtaq; cōsciētia,qđ tēpla
tuis sumptibus erecta, cenobia tuis īpensis extructa,mūeraq; in religio-
sos assidue collata liq̄do testanť/ut merito dicēdus sis,ꝓfugiū calamito-
so℞,subsidiū inopū,bono℞ sustentaculū,splēdor Pānonię,oīmq; uirtutū
sc̄tissimū exēplar. Quid.n.referā tuā in om̄i re modestiā/cōtinentiā/nor-
māq; uiuēdi exactissimā: q̄d māsuetudinē/facilitatē/& clementiā: q ne-
mi/neq; diuiti/neq; paupi accessū ad te,ꝓhibes,aut aures benignas clau-
dis. Quid in rebus hūanis solertiā,& prudentiā: q arces munitissimas,&
ꝓpe inexpugnabiles cōstruxeris,sed in primis in uitifero colle Zeules, q̄
subtiliter,et magnificētissīe extructa p̄tereūtibus uiatoribus magnū p̄bet
forinsecus oblectamētū,tū ob mœniū,ædificio℞q; altitudinē,tū pinna℞,
turricularūq; elegantiā,ut quis nō hūanis manibus,sed diuinis artibus
illā ꝑfectā existimet. Quid memorē pulcerrimū diuę & intemeratę ꝟginis
cū Cenobio āplissimo tēplū: qđ deo optīo/maxīoq;/& suę btīssime geni
trici in pignus tuę salutis,& ꝑpetuū tuę famę monumentū cōdidisti,cōse
crastiq;. Sed ut(qm̄ Epistoliū,qđ laconismon amat,nō historiā,siue orō-
nem longiusculā scribere ꝓposui,& aliubi,ut spero,cōmodius,uberiusq;
laudes tuę decantabunť)grę referēdę nulla in re, q̊ad possī,deficiā. Venit
diebus pauloāte trāsactis in manus meas opusculū Ioānis Pānonij quiq;
ecclesia℞ olim Antistitis,quē oībus ueluti polyhistora sęculi nr̄i prudētis
simis/ītegerrimis,sciētissimisq; facile p̄ponendū cōtenderī,q inter p̄clara
īgenii sui monimēta,q̄ in Carthophylatio situ,& puluere obducta,ueluti
carcere quodā tenebroso claudunť/coercenťq; Panegyricū quēdā de lau
dibus Baptistę Guarini Veronēsis p̄ceptoris sui cōdidit,q̊ summā demō-
strat amoris sui erga p̄ceptorē copiā, bn̄uolētięq; magnitudinē,q̄ntū de-
niq; sinuoso pectore/penitissīsq; anī ꝑtibus illū fixerit,ac clauserit carmi
ne terso/elegāti/luculēto/ꝑfecto/& Camœnali suauiloquētia cōposito e-
narrat. Quē nō mō Latinę,Graięq; linguę cultorē nūcupat,sed īcultę bar
barięq; corruptelæ īdefessū exťminatorē, ac Latij eloquij īdustriū recupa
torē. Qđ quom īcuria,inscitiaq; trāscribentiū blæsum/barbarū/mancū/
mutilū/ ac lōgo situ lacerū,sordidulūq;,& a natiua penitus uenustate de
formatū (ut plerisq; in locis coiectore Oedipo foret opus)offendissē,mul
tiiugo tandē studioso℞ suasu,ac īpulsu,tuis deniq; in nūerabilibus in me
meritis poscētibus,in pristinū nitorē genuinunq; candorē restaurare cu-

raui. Qđ eo feci libētius,quom rē p̄rię tuę nobilissīe nō minus utilē,quā
iucundā me factu℞ ꝑspicerē,exteris q̊q; & remotissīs declararē gentibus,
ad Pānonios etiā ipos hūaniores,& suauiores migrasse musas. Quo mu
nere te p̄cipue dignū esse existimaui,q crebro huiusce uiri,quē noras tibi
familiarissimū,ingeniū/uigilantiā/doctrinā/sapientiā mihi cōmendaue
ris,q lr̄as quā studiosissime foues, litteratosq; & lr̄a℞ cultores magno &
honore,& p̄mio ꝓsequeris amplecterisq;. quapropť Ioannē Pānoniū tibi
Pānonio merito dedico,nuncupatūq; cōsecro. quē si subcisiuis euolueris
tēꝑibus,nō parū uoluptatis,& fructꝰ tibi allatu℞ spero. O utinā reliq̄ tāti
uatis oꝑa tuo studio,tuaq; diligētia in lucē ueluti e tetro carcere cōsurge-
rent,& in cōem studioso℞ utilitatē emergerēt, optime ꝓfecto lr̄is lr̄atisq;
ipsis cōsuleres. Suscipe igiť dñe Magnifice hocce clientuli tui munusculū
frōte hilari & serena,tanq̄ pignus & monumentū singularis meę erga te
obseruātię munusculū licet breuiculū,minutulū/et pusillū,attn̄ iucundū
nobile/et p̄ciosum,quē paulopost grādiore,ac locupletiore dono donare
curabo. Vale faustiter cū cōiuge tua magnifica,forma deganti, ꝓbitate
insigni,nobilitate generosa,et nō tā pecunia,q̄ pudicitia bn̄ dotata. Meq;
clientulū tuū,si nō amare,saltē diligere nō dedigneris,q te ueneror/colo/
et obseruo. Data Cracouiæ mense Iunio. M. D. XII.

Libellus e Carthophylatio prom-
ptus,et pristino nitori resti-
tutus, loquitur.

Antra qui tetri colui Tyranni
Nuper et cœco fueram reclusus
Carcere, ac dures pedicis ligatus
Terga latusq;.

Quem per infernas lacerauit oras
Ianitor nigri truculentus Horchi,
Quemq; cōcidit stygijs cruenta
Turba flagellis.

Ecce nunc rursus nitidas ad auras
Lętus emergo,niueaq; clarus
Veste,et integra facie, et serena
Fronte decorus.

Hunc mihi Paulus tribuit nitorē/
Hanc mihi uitam reparauit idem.
Quem uocat dulci docilis caterua
Voce Ruthenū.

Cui rogo dignas modulare grates
Qui Lyram pulsas clarij sonoram
Cuiq; felices Pylij precare
Nestoris annos.

Adriani Vuolfhardi Trāsyluani. Protrepticon ad libellū.

Exi quid dubitas recens libelle,
Auro nobiliorq; gratiorq;,
Et quas concha parit marina gemmis,
Et quos littora dant sali lapillis,
Nuper qui fueras lacer relictus:
Fractis cruribus, & manu retorta:
Dum patronus auet tuus sereno
Vultu abloluere circulum salubrem

Pedias, ue negocium facessit
Quid? sodes mihi dicito? redis quur
Fœnum cornibus an times gerentes?
Ridentes sciolos? salariorum
Num scombros olidos? uel Asteriscos?
Num Momi tetricam subire frontem?
Nasum Rhinocerotis? an sinistros
Ronchos? quid metuis minus probati
Sannas oris, & hancce apertionem?
Quum cędant pluteum tuę sorores,
Natę sintq; cleantis ad lucernas /
Guarino duce, quem tulit Catulli
Vatis patria. Maximiq; Plini,
Nec censor rigidus notare stellis
Quem risisse parum ferunt, comesta
Cui ficus ue tulit supræma fata
Posit, Pęgasidum melos suaue:
Quare Pannonios lares require:
Qui te mille per osculationes /
Vlnis accipient & obuiisq;:
Porrecta Hesperiam reuise fronte /
O dulcem nimium Poetę alumnam
Nostri / Parrhasio sub axe Crocam /
Hinc & phrasidos ultimū recessum,
Et qua lętus adi uiget Mineruæ,
Sed sis Callipides caue libelle /
Et testudineo gradu moreris,
Ergo Pęgaseis uolato pennis.

Adrianus Vuolfhardus Trāsyluanus
sub auctoris persona, ad Lectorē.

Viuebam dum fata dabant sine crimine quondā,
Qua fluit Hister aqua natus in Vngaria.
Meq; laborantem patrię scabredine linguę,
Suscepit placido terra latina sinu,
Hic quid Graia docet per mille uolumina musa
Guarino didici quidq; latina tonat,
Ire sed ut cessim cœpiq; inducere musas
In patriam Aonio uertice dulcisonas,
Arrisit fortuna parum Rhamnusia, nanq;
Exulo, conscendit spiritus inde polum /
Lector amice boni quare rogo consule, si quid
Displicet, extemplo te quoq; fata ferent.

IOANNIS EPISCOPI QVINQVE ECCLESIARVM PANEGYRICVS PRAECEPTORI GVARINO VERONENSI. PRAEFATIO.

Phylliridæ monitis cum profecisset Achilles
Edoctus pariter gramina, tela, chelim.
Non labyrinthæos relegentem Thesea flexus /
Ante nec Alcidæ monstra perempta manu,
Nec sæuum æbalio prostratum Bebryca cœstu,
Nec matris fertur concinuisse thoros.
Semiferi laudes q̄ prælusisse magistri /
Illa fuit teneræ prima Camœna lyræ,
Vix dum fila leui tentarat tinnula plectro /
Aspiceres placidas accelerare feras,
Iuncti Gryphes equis, lepores uenere molosis /
Contulit accipitri blanda columba latus.
Non Tigrim ceruus tremuit, non dama leonem,
Sedit & hirsutis agna propinqua lupis,
Mobilis œtæo de uertice sylua cucurrit,
Nuper ad Herculeos sylua recisa rogos /
Nudus Athos mutila Lemnon non attigit umbra /
Repsit ad auditos pindus, & ossa modos.
Constitit Eurotas, & non nebulosus Anaurus /
Pœneum supra nec Titaresus iit.
Carmen erat pueri Cythara quantum ille ualeret,
Quam bene Pœonia pelleret arte malum.
Nosset ut iratos dictis lenire bimembres,
Impia tranquilla prælia pace domans
Te non Ixion fallaci nube creauit:
Saturnus fratrem sed dedit ipse Ioui.

Non conuiuali, tibi frangere pocula rixa/
Nubentis studium nec uiolare nurus.
Tu Phœbi nutris sobolem, tu sedulus hospes
Accipis æternos curua sub antra deos.
Pro quibus alta manet meriti te regia cœli.
Contrahit & caudam Scorpius ecce tibi.
Hæc pius Aeacides, mihi pro Chyrone Guarinus,
Hunc sibi præscribet pagina nostra ducem,
Imbuat ille meæ phas est exordia musæ,
Pierium uati qui reserauit iter.

PANEGYRICI PRINCIPIVM.

Vstica si pietas consueuit rite quotannis
r Flauentes Cereri spicas, noua musta Lyeo/
Arbuta Pomonæ/ Baccas offerre Mineruæ/
Veris opes Floræ/ cuiuis sua munera diuum/
Iure Guarine tibi nos carmina nostra dicamus/
Fontibus hausta tuis, mea nec lyra dignius ullum
Antesonet, q̄ quo didicit crepitare magistro/
Verum ego si totum docili simul ore bibissem/
Quidquid tu inuidia nil subducente fluebas/
Tantarum haud possem fastigia tangere laudum/
Nunc cum parua tuæ nobis sit portio uenæ
Quid plus proficiam? nisi q̄ fortasse uidebor
Susceptorum abs te non immemor esse bonorum,
Quamq̄ non alias similem sperare fauorem
Thespiadum nobis liceat, nec iustius illæ
Affuerint ulli, q̄ te Guarine canenti/
Sed de Parnasi, cur nunc ego uertice musas
Sollicitem? ceptis tantum ipse audacibus adsis/

Aspirasse simul Bromium, & Pœana putabo.
Nam te haud exiguum gestare in pectore numen
Certa fides, q̄ si diuinæ uatibus haustum
Mentis, & insanis prisci tribuere Sibyllis/
Hæ uentura uident, illi q̄ carmina pangunt/
Quid de te censere licet? qui totius æui
Acta animo comprensa tenes, nec cudere solum
Ipse potes numeros, magni sed Apollinis instar
Hoc aliis præbes, & tot facis esse Poetas.
Dos tamen ista tibi facili non indita casu/
Sed per difficiles accessit parta labores,
Hesiodum gelidæ pascentem in uallibus Ascræ
Obuia nescio quæ dominatu turba/ disertum
Effecit propere, cum porrexisset edendam
Laurum, & Castalio potum de fonte dedisset,
Ennius in uiridi carpens Helicone soporem/
Vidit Mœoniā subito uitalibus umbram
Irrepsisse suis, ac pulsa nocte resurgens
Dictare annales, & condere prælia cepit.
Te nec somnus iners, pecudum nec pabula frondes.
Sed propria ærudiit sollerti industria cura/
Vix tua reddebat gratilis infantia uoces.
Cum tibi non uano paribus contendere lusu
Tantus amor/ quātus tabula, chartaue notatos
Balbutire apices, & lætæ ostendere matri
Discreta inter se uariis elementa figuris.
Iam tum gaudebas digitis in puluere ductas
Pingere litterulas, & passim forte iacentis
Nondum intellectos, tamen attrectare libellos.
Fœmineo quondam cœlatum Syrmate Achillem

Callidus Aeolides lituo deprendit, & armis.
Te ſi uirgineo genitrix uelaſſet amictu
Oblato actutum potuiſſes codice noſci.
Poſt ubi creuerunt ſenſus creſcẽtibus annis
Non medicina tibi, ſcitu pulcerrima quamq̄,
Actu fœda tamen, logicæ aut placuere proteruæ
Iurgia, in explicitos fruſtra nectentia Gryppos,
Nec uerboſarum diſcors concordia legum.
Rhetoras, & uatis ſtudio complecteris omni.
Quos ſi quis nouit, nil ignorare probatur.
Inde carens uicio ſermonis regula ſurgit.
Inde fluit cultæ dulcis facundia linguæ.
Hinc diſſertandi ſubtile paratur acumen,
Hinc rerum ſcitur ſeries, & forma locorum.
Nec minus ingenuæ diſcuntur quattuor artes.
Quæ numeros, uoces, menſuras, ſydera tractãt.
Adde tot humanæ præcepta ſalubria uitæ.
Dogmate multifido pugnantibus edita ſectis,
Iunge etiam ſemper pacientis, ſemper agentis
Materiæ fluxus, & fata regentia mundum.
Inuenies illic (memorem ne ſingula) quicquid
Tradidit Aegypto Babilon, Aegyptus Athenis.
Qui ſuperi, & manes, qd agant poſt corpora mẽtes,
Quis deus, unde ingens cauſarum pendeat ordo.
Ergo nihil illis ornatu pulchrius unq̄,
Nil uſu melius, donarunt numina terris,
Hos tu præcipuos auctorum ex agmine tanto
Deligis, & nunq̄ fœcunda uolumina ceſſas
Nocturna uerſare manu, uerſare diurna.
A quequis mixtus rauca inter pulpita Ephœbis

Mox præceptorum non tantum dicta tuorum,
Percipis, & retines, meliora ſed ipſe potenti
Ingenio profers, ac te iam conſulit omnis
Turba, & diſcipulus doctori incognita monſtras.
Multa tamen ſuberant libris obſcura uetuſtis,
Præſertim externã noſtræ admiſcentia linguam,
Quæ cupidam certum penitus pernoſcere uerum
Mentem obturbabant, & deſperare iubebant.
Cum tuus ambiguũ ſic te eſt affatus Apollo.
Parce tuo iuuenis nimium diffidere uoto.
Præmia nec pigeat parituri magna laboris,
Nil non poſſe tibi pater annuit, omnia diſces,
Omnia tu ueterum monumenta docebis auorum.
Sed non in patria dabitur Romane quod optas,
Longinqua emenſo luſtranda eſt Græcia ponto,
Vt tibi ſuccedat perfecta ſcientia rerum.
Multi hanc extremũ ueſtigauere per orbem.
Sic Plato Memphitas, Samius ſic quæſiit exul
Aſſyrios, ſic quos uocitant Brachmanas adiuit
Multiuagus Thyaneus Indi mirator Iarchæ.
Tu nunq̄ per quæ reptaſti tecta relinques?
An ne eſt turpe tibi (quod fœdum Varro negauit
Quod Cato) iam grandem puerilis prima mineruæ
Orſa ſequi, & ueteris notulas agnoſcere Cadmi?
Vel te forte mouet ſolitus ridere loquaces
Inachidas Marius? qui plus cum Marte Lyeum
Quam me cum muſis coluit, prudentior illo
Arpinas alius, cui copia uocis Achiuæ
Præſtitit, eloquio cunctos ſuperare Quiritis,
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo

Musa loqui, Ausoniis quidquid spectabile chartis
Actæi fudere senes, & origine prisca
Vester ab Aeoliis descendit sermo pelasgis.
Nec modo Romanas aliud magis obruit artes
Quam ꝙ Cecropidum studia intermissa latinis.
Quare age tu saltem/Danaas post longa Camœnas
Sæcula redde tuis/tantæ primordia laudis
Præripe: nec dubita præclarum exemplar haberi.
Quod mox multoꝝ uirtus accensa sequatur/
Ne ue iter ignotum: medium neu terreat æquor.
Saluum ego te ducam: saluumq; Guarine reducam
Veronæ ad muros, & fama nominis alti
Oceanum tranare dabo, contingere cœlum.
His motus stimulis/uento caput, & maris undæ
Credis/& Hadriacos Veneta legis arbore fluctus.
Leua monticolæ carni linquuntur / & Hystri
Nec non Illyriis passim gens mixta Liburni
Tum plaga Dalmatiæ/tum Pyrrhi nobile regnum.
His aduersa iacens tellus Oenotria dextra
Porro inter Pelopis terras, & littora uectus
Sicaniæ / dictæa Iouis cunabula uisis.
Nec petis oppositas sine re modo nomen Athenas/
Plena sed Aegæo committens uela patenti/
Transis dispositas in magnum Cycladas orbem/
Ac Sporadum nullo sparsas fugis ordine cautes.
Mox hinc Lemnon, at hinc abscōdis Lesbon, & alta
Prospicis Iliacas Tenedi de rupe ruinas.
Excipit arctatum terris propioribus æquor/
Qua nitido effusam fleuit uectore sororem
Phryxus, & infelix fleuit Læandria uirgo

Funera/qua iunctam uix credens Seston Abydo
Cantat adhuc mœdos nautarum fabula pontes,
Fusior inde tua sulcatur naue propontis,
Donec in Odrysios cecidit grauis anchora portus,
Aemula Romuleis tollens ubi mœnia muris/
Thratius Euxinas angustat Bosphorus undas.
Vir fuit hic patrio Chrysoloras nomine dictus/
Candida Mercurio quem Calliopæa crearat/
Nutrierat pallas: nec solis ille parentum
Clarus erat studiis, sed rerum protinus omnem
Naturam, magna complexus mente tenebat.
Post modo sacrilegæ rabies quem perfida gentis
Errori ꝙ se socium prius ipse negabat/
Sedibus eiectum Latio transmisit Auitis.
Sancta nec ossa uiri tumulis iacuere suorum/
Sed procul Arctoo rigat hæc constantia Rheno.
Hunc petis, & miris tot pulcra ornatibus unum
Quæris in urbe uirum, neu tantum uerba docentis
Aduena captares / sed proximus intima uitæ
Arbiter inspiceres, famulus colis atria docti
Hospitis/ & mixto geris auditore ministrum.
Tam cito non rapuit Neoclides perfida uocem/
Barbara dum uicti sedet ad prætoria Regis,
Quam cito tu sectam quino discrimine linguam
Hausisti Crasso longe distinctius ipso.
Nec quisq̄ Hesperiis natum dixisset in oris/
Cum tua Mopsopiam sonuissent ora loquelam,
Quod plane assiduus fandi tibi contulit usus.
Ac declamatum toties, nec more sinistro
Pythagoræa annis seruata silentia quinis.

Scire loqui haud satis est, penitus sed nosse laboras
Historici quidquid, quidquid scripsere Sophistæ.
Quidquid diuini tegit alma Poesis Homeri.
Inde alias, post inde alias transcendis ad artes,
Singula degustans, quæ uel rigidissima firmat
Porticus, incertis uel contra sensibus edit
Helleboro tardam purgata Academia bilem.
Vel si quid medius spaciantum interserit ordo,
Qui ue in diuiduis e partibus omnia fingunt.
Nec secus ac flaui stipatrix Dedala mellis
Florentem primis subiit cum roribus hortum,
Omnia odorati populatur germina ueris,
Nunc Casiam, nunc illa Thymũ, nunc lene Papauer
Delibans, nunc illa Croci redolentia paruo
Crure legens, donec sero iam uespere notas
Pulsat onusta fores, & cærea tecta reuisit.
Sic Chrysoloræi cupide tu pectoris omnes
Carpis diuitias, & corde recondis in imo
Sedulus, ac nullam consumis inaniter horam.
Obsequiis ue uacans domini, monitisue magistri.
Si quid ab his reliqui superest tibi temporis unq̃.
Vel scribis, uel scripta legis, uel lecta reponis.
Multa ferens, multa & faciens, sudoris & algi
Nunq̃ expers, uini, ac ueneris sed iugiter expers.
Nec magis indulgens somno, q̃ peruigil argus,
Aut Colchꝰ, Libycusue anguis, uel inhospita Gorgõ,
Nam cum te ardenti tandem indormire lucernæ
Impulerat totis urgens sopor inuidus alis,
Tu fessos acri stimulabas uulnere sensus,
E duros teneris immergens artubus ungues.

Tantus amor ueri, tantæ sapientia curæ.
Macte animi, qui tam procul a natalibus aruis
Instabili quantum Simplegade Syrmio, quantum
Pangæis Alpes, Atesis deducitur Hebro.
Talia quærendis per sudas ocia musis.
Quæ satis æqua tuo reddam preconia facto?
Quem ue unq̃ simili flagrasse cupidine dicam
Aonidum? cæco latuit male, tonsus in antro
Bellacem orando fregit qui pene Philippum.
Tu te non propriæ subter penetralia cellæ
Clausisti, sed tam longe studiosus abisti,
Vnde tuis de te nunq̃ uel fama rediret.
Induit Euclides muliebria tegmina membris
Dorica pro Latio tu sumpsti pallia cultu.
Democritus cõtempsit opes, sed parte retenta.
Tu nil seruasti, putei mercede Cleantes
Chrysippi secreta bibit, tu mille subisti
Iussa cliens doctoris heri, dimisit auitos
Fortis Anaxagoras late sterilescere fundos.
Tu cor ut excoleres sulcis tibi corpus arasti.
Scilicet haud unq̃ leuiter preciosa parantur.
Nec nisi difficili surgunt ingentia nisu,
Nimirum illa rudes mundo abstersura tenebras
Ornatura nouos, illustratura uetustos
Per magnos cumulanda fuit doctrina labores.
Nec te erumnarum pigeat Guarine tuarum.
Sudasti haud frustra, suus hæc incommoda fructus
Obruit, & longe cedunt dispendia lucro.
Hic licet æoos currens ignotus ad Indos,
Barrorũ dentes, arabum ue reportet odores.

Pexa ue lanigeris fulgentia uellera syluis.
Alter Hyperboreas timide rimatus harenas
Eruat innumero seruatos Gryphe Smaragdos.
Aut Erythræa legat quos celat concha lapillos,
Ille metalliferi scrutatus uiscera montis
Palleat, & Stygiis, q̄ cælo, admotior umbris
Effodiat, curet quā protinus abdere massam.
Non tamen has æquabit opes, hec Gaza Sabæas
Exuperat species, ebur, aurum, serica, gemmas.
Quid q̄ inutilius quidam haud leuiora tulerunt.
Perseus & Zephyrū pennis lustrauit & Austrum.
Tolleret ut domiti precium Cepheida monstri.
Occidui Alcides solis deuexa secutus.
Fulua phoroneos ut poma referret ad argos?
Trunca pupe audax Colchos ingressus Iason.
Serpentum excubias, thaurorum incendia, pugnas
Horruit, anguigenum quæ tantis digna periclis
Premia? flauenti nempe illita lana metallo.
Tu reuehis uictor, quod non modo uile nitenti
Pellicula, & malis Libycis, & uirgine fusca
Non mutare uelim, sed pro quo cuncta recusem,
Quæ Mida conuertit, quæ pollens diuite regno
Lydorum aurifluis collegit Cræsus in undis.
Altera profecto celebrarat olympsa lustro,
Elis, & Alpheus terræ per operta uolutus
Visa recensebat Siculis solennia Nymphis.
Cum te iam Graio plenum precordia Phœbo
Admonuit patriæ leuiter deus aure prehensa
Ergo recedenti Byzantia Roma recedit.
Nec minus aduersam condunt Chalcedona nubes.

Mollis læua Asiæ, dextra de parte ferocis
Vicina Europæ tellus fugit, & uice iusta
Lata bis angusto succedunt cærula ponto.
Vos o Cyaneo uolitantes aere uenti.
Iusticiæ fratres diuæ omniparentis alumni.
Qui quatitis terras, & ab imo Nerea fundo
Eruitis, per quos cæli uariatur imago.
Vt modo caliget nebulis polus, & modo late
Rideat optati facies tranquilla sereni.
Vnde uices anni, necnō & frigora, & imbres,
Vnde graues tonitrus & hiulci fulminis iræ.
Sic uos Hippotades leni moderamine frenet.
Nec ferus euersum Neptunus uindicet æquor.
Paulisper cohibete minas, & parcite flabris.
Dum ratis hæc Italas contingat sospes harenas.
Non turpis thalamos, Piratarumue cohortem,
Delitias non illa phari, peregrina ue nostre
Luxurie fomenta gerit, meliore coemptas
Mercurio sed ducit opes, hac tota uetustas,
Hac una uehitur facundia bina carina.
Quæ nisi Orionias euadat salua procellas
Fandi ubi cultus erit? diuina ubi carmina uatum?
Ingenia Hesperiæ quanta sub nocte iacebunt.
Audimur spirant Euri post terga secundi.
Nec deest pollicitis proles Latonia pæan,
Ille etiam Ortygien cum iam tua prora subisset
Fatidicas in te laurus commouit, & ultro
Delia sortilegi patuere oracula templi.
Nulla nec optauit compleri numine Phœbas,
Dum seruire suos gaudet tibi leta furores.

Tum sic ex imis Cortina remugit antris.
O felix longam placido cum funere uitam,
Cui tribuit pater, & decus indelebile clari
Nominis, & centum numerosa e prole nepotes
Id tantum Guarine caue, tua ne bona solus
Possideas, uni ne tuus tibi luceat ignis.
Edita nec cæca te sors ambage fefellit.
Ilico sensisti tua te impertire iuberi
Omnibus, & sacros doctrine effundere riuos.
Inde futurorum iam certior, æquora rursus
Mensa remetiris: nec longum tempus & urbem
Ingrederis Venetam spoliis orientis onustus,
Non Mauorte fero, placida sed pace paratis.
Laus fuit hæc ueterum patrias traducere ad oras,
Si quid in orbe alio pulchrum, rarum ue notasent.
Transeo te regum uictor Luculle duorum,
Ornasti Latios Scyticis qui fructibus hortos,
Nobiliora sequar, populo monstrauit hianti
Mumius euersa iuuentia signa Corintho.
Persei Scaurus dedit ossa immania Ceti.
Regulus immensi transmisit terga Draconis.
Hic primus media discurrere fecit harena
Spectatas non ante feras, Italis ue uolucres
Ignotas lucis a Nilo aut Phaside duxit.
Ille nouum lapidem Phrygia, Libya ue petitum.
Mira ue longinquæ portauit robora sylue.
Tu Latio cunctis infers maiora triumphis.
Quæ nec magnanimi diues uictoria Pauli
Aequarit/ Cypro nec quod Cato uexit opima.
Troius Aeneas raptos ex hoste penates

Attulit & matrem torua cum pallade uestam.
Tu diuos Itala dudum tellure fugatos
Restituis, tecum uirgo Tritonia/tecum
Somnifera insignis uirga Cyllenius ales,
Tecum deserto remeant helicone camænæ
Tu Bacchi thyrsos, & Phœbi plectra reducis.
Vix tactum bene littus erat, uix ianua ludi
Mandatis adaperta dei: uagus omnia rumor
Gymnasia Italiæ centeno murmure complet.
Affulsisse uirum, gemina qui pallade solus
Polleat, & duplicem præstet sitientibus haustum.
Curritur ad bifidi suauissima flumina fontis,
Atria nec capiunt studiosas ampla cateruas,
Mirantur cuncti melius uel nostra docētem,
Vel noua Erichtææ promentem nomina lingue,
Mirantur cæcis tandem prodire latebris
Sensa tot auctorum mille inde prensa per annos,
Nec prius auditos puduit risisse magistros.
Verborum pars nulla perit, sed cuncta citatis
Excipiunt calamis, & longa in sæcla recondunt.
Ceu cum depastis late senilibus agrum
Lenta gregem tenuauit hyems, & debile languet
Ieiuna pecus omne fame, si frigore pulso
Afflauit tepidos Zephyri clementia campos,
Ocius erumpunt stabulis armenta reclusis,
Ac primum uirgas, & quælibet obuia tondent.
Quod si maturas iamdudum uallis apricæ
Planicies ostendit opes, huc agmine facto
Irreuocata ruunt, & læto uere fruuntur.
Pastorum tacitas pertentant gaudia mentis,

Ad tua sic auidi contendunt limina coetus/
Vt meliora nouæ decerpant dona Mineruæ,
Ast aliis deserta uacant subsellia, nec iam
Ipse manet cathedra modo qui dictabat ab alta,
Sed se discipulis comitem properantibus addit,
Omnis conditio, sexus simul omnis, & ætas
Accelerant, plebi stipatur curia, mixti
Primæuis cani, maribus sedere puellæ.
Multi, quos uitæ ratio diuersa tenebat,
Iam musas, & plectra uolũt, mercator auara
Prosilit a mensa, neglecto durus aratro
Rusticus, & posita festinat cuspide miles.
Nec reliquis precium manet artibus, ars tua cunctis
Præfertur studiis, radio Geometra relicto
Te petit, assuetus rerum disquirere causas
Se tibi submittit sapiens/ tua tecta frequentant
Morborum curas, & legum scita professi,
Patribus in primis summi pia gloria uoti
Erudienda tuæ cõmittere pignora curæ.
Nam quis te melior, uel prouexisse uolẽtem,
Vel contra ignauo discendi subdere Calcar?
Principio recte das fundamenta loquendi.
Recte scribendi compendia tradere callens.
Ne lingua accẽtu, calamo ne dextera peccet.
Mox argumento formatur epistola ficto/
Proxima uoluendis annalibus ocia dantur/
Declamare dehinc, & carmina fingere monstras.
Dum matura suam facũdia crescat in arcem/
Per certos euecta gradus, nec scripta recenses
Omnia/ sed tãtum recipit quæ fida uetustas.

Quod si quem imbutum non pura fruge notasti
Agricolæ ritu silicem prius eruis aruo/
Semina deinde iacis fructus latura metendos.
Par morum doctrina tibi quis Zeno? quis unq̃
Sic potuit Crantor uiciis auertere mẽtes.
Ac teneram dextro pubem deducere ramo
Angustum qua surgit iter, Non cæra figuras
Tam digito subigente trahit, q̃ mollis ephœbus
Te ducit fingente uirum, nec uerbere toruo,
Aut ferula insanis, sed maiestate potenti
Tranquillus delicta premis cessante flagello
Obiurgata tuis paret lasciuia frenis.
Nil igitur mirum si te mercedibus amplis
Tot sibi certatim populi petiere magistrum.
Nec uero tute prius una in sede locasti,
Quam sparsa innumeras tibi disciplina per oras
Sic genitus Celeo Siculæ noua semina matris,
Non Pandioniis tantũmodo condidit aruis,
Sed procul aerio uectus per inania curru
Chaonias late iussit uilescere glandes,
Emeritos donec taciturni conscia sacri
Orbe peragrato colubros disiunxit Eleusis.
Tu mare frenantis Venetos, tu antenoris alti
Instituis ciues, tua te uerona legentem,
Finis & Italiæ stupuit sublime Tridentũ,
Nec iam flumineum referens Florentia nomen,
Ac Phœbo quondam nunc sacra Bononia Marti.
Tandem mansurum placida statione recepit
Pacis, & aligeri Ferraria mater amoris,
Qua Padus in geminos iterum se diuidit amnes,

Luget & ambustum fratrem pia sylua sororum.
Hic tum Nicoleos rerũ retinebat habenas,
Stirpis Aestinæ clarum decus, ille uenustis
Artibus ut natum simul exornaret, & urbem
Te Phaetonthæos musis sacrare colonos,
Te Leonelleæ uoluit superesse iuuentæ,
Oppida nam fieri Plato si felicia dixit,
Purpura cum sapiat, uel cum sapientia regnet,
Diuinum hic quiddam tunc duxit iure futurum
Si rector doctam moderetur doctior aulam,
Nec frustrata uirum sua spes/ uidet ecce suprema
Aetheris e specula quod tota mente petebat,
Nam cultam studiis Leonellus cultior alma
Sic in pace regit patriam, sic iure quieto
Temperat, ut reliquis late cum ferrea uoluat
Vrbibus, huic uni uehat aurea tẽpora Titan.
An non Saturni sunt illic sæcula patris,
Bella ubi nulla fremunt, nisi que descripta legunt.
Semper ubi letas populo plaudente choreas
Intus festa sonant, & picta palatia surgunt,
Arua foris grauido locupletat copia cornu,
Fortunati ambo plebs preside, plebe Tyrannus,
Ambobus sed tu tantorũ causa bonorum.
Per te belligeris prelatus fratribus, alto
Ille sedet solio, monitis & se inde fatetur
Profecisse tuis, ꝙ te complectitur omni
Parte sui, & seris mandare nepotibus optat.
Nec secreta tibi Larium negat ulla suorum,
Formandam pariter credens cum coniuge prolem
Per te/ Mars alias lituis dum perstrepit oras

Sola uacat Cytharis Ferraria, sola triumphat.
Principibus fœcũda piis, fœcunda disertis/
Ciuibus, & pariter cunctis habitata Camœnis.
Nec solas, quas ipse doces hic cernimus, artes.
Adsunt & reliquæ, sed tu dux omnibus illis.
Tot siquidem medici, gemino tot iure periti/
Tot triplicem amplexi Sophiam, te propter in istũ
Confluxere locum, tu si uada Syrtis iniquæ
Incoluisse uelis/ Scythico ue in uertice sidas/
Si uaga Sarmaticis figas tentoria campis,
Aut in Getulis habites magalibus/ illic
Gymnasium fiet, studia illuc cuncta meabunt.
Verius ergo potes dici tu conditor huius,
Quã qui cornigeram iungens cum Marte iuuencam
Primus ei ducto sanxit pomeria sulco
Transtulit, & curuum portat dum signat aratrum.
Scilicet & maius fragilis attollere pinnas/
Aggeribus fossas præcingere, turribus arces/
Quã populo syluis excito, ac uallibus imis/
Ingenuas artis, & uitæ inducere cultum.
Quin & structorum celebrauit nomine tales
Fama prior, per quos uaga turba coiuit in unum
Corpus, & insulsum gentes posuere rigorem.
Nec secus Amphion Tyrios me iudice muros/
Cinthius erexit Phrygias, dum pectine dulci
Attractas cogunt in mœnia crescere petras.
Vox Chelys illa fuit, duri saxa illa coloni.
Hoc Guarine tibi nuper Ferraria pacto
Fundata est, talem tua quam præsentia fœcit.
Vt iam nunc ueteri tam sit diuersa iuuenta/

Plæna senescenti quam discat Cynthia Lunæ.
Ante rudis rerum, nūc ipsis æmula Athenis.
Nulli nota prius, totum nunc clara per orbem.
Incelebris quondā/magni nnnc hospita mundi.
Nam te audituri terrarum ex omnibus oris
Huc coiere uiri: tua nec te Oenotria tantum
Miratur, mouere tuæ præconia famæ
Hos etiam/musas qui condemnare solebant.
Ad te permenso descendit Dalmata Ponto.
Ad te Creta/Rhodos/ꝑperauit & ultima Cypros.
Sole Rhodos/Ioue creta/Cypros Cythereide felix.
Pro te Sequanicos Galli spreuere magistros.
Germani argutam pro te liquere Viennam.
Venit & Herculeis uicina Hispania metis.
Axe sub Arctoo positi uenere Poloni.
Venerunt alio uolitantes orbe Britanni.
Me simul hos inter fatis, & forte deorum
Pannoniæ tellus tenero tibi misit in æuo
Qua mox Danubio mixturus nomen, & undas
Pinguia culta secat leni iam gurgite drauus,
Vrbs siquidē tota una colit, satis esse beatus/
Creditur, & tumida resupinus laude superbit,
Ludi turba tui est/quitquid iacet inter hiberum
Ac Tanaim, quantum discedunt Cydnus & albis/
Qu aliter in mediis reddens oracula Delphis
Gentibus a cunctis acceditur augur Apollo.
Hunc Notus, & Boreas, necnon occasus & ortus
Consulit in dubiis, & rerum abscondita discit.
Quis bello/paci ue modus, prudentia cuius
Prima uiri/miseros quis fœlicissimus inter

Mortales, quæ longarum fortuna uiarum.
Ille licet cæcis penitus demersus in antris/
Tempora cuncta tamen momento cernit in uno,
Voluere nec parcæ, populi ue inquirere tantum
Sufficiunt, quantum solus ualet edere pœan,
Sic ad te toto certatim ex orbe profecti/
Agrestis animos, & barbara corda reponūt,
Nec tuus assiduo fons unq̄ deficit haustu/
Purior & maior sed in omnia pectora manat.
Vt Pharon immenso fœcundat flumine Nilus/
Magnus ut Euphrates Chaldæos irrigat agros/
Gurgite nec tantū collectus laberis uno/
Sed uelut innumero prorumpens ore Timauus
Multiplices aperis riuos, scatet ille latinis
Artibus, hic Graiis, bibit hinc prouectior ætas/
Inde minor, prima seu quis maduisse minerua,
Rhetorico potius cupiat seu nectare tingi,
Seu uelit annalis, seu dia poemata uatum,
Quos tu non trito uulgi de more retexis,
Plana, & aperta sequens, Ceu qui uaga retia summis
Ducit aquis fundo nec prædam quærit in imo,
Grandia sed paruis, sublimibus infima miscens,
Nil indiscussum penitus, dubium ue relinquis,
Syllaba uel nullum ut tenuis, uel littera fallat/
Qui structuræ ordo, quæ sit sentētia uocum/
Quæ nota uerborum seruata fidelibus annis/
Quodlibet a qua nam decurrat origine nomen,
Quid distent unum quæ significare uidentur.
Qui stilus, aut numeri species, quis carminis author/
Agumenta quibus ueniant e sedibus, & quos

Excuset ratio, cōmendet forma colores,
Narrandi quæ lex potior, ꝙ sæpe per artem
In medio soleant prima, & postrema locari.
Nec se principiis moueat tractatus/ & imos
Desinat in fines, sed gratius ordine uerso
Vltima præueniat longe prius acta reseruet,
Tunc tamen exuperas cum rerum abstrusa recludis/
Cum ueterum sectas inter figmenta latentes
Producis, nec te sollertior edere quisq̃
Mystica secreto quid cælet fabula sensu.
Quod uastum sine lege chaos, quæ bella gigantum,
Qui Pyrrhæ lapides/ Phaetonteiue calores,
Quas progne plumas, quæ cornua sumpserit Io/
Dædalus arma quibus Minoia fugerit alis/
Quæ uis reppulerit solem, quo robore cœlum
Fulciat altus Atlas, quod uirus Gorgonos atræ,
Quid facies, habitus ue nocent/ & sacra deoꝝ,
Nempe etiam quoties diuinam Aeneida uersas,
Haud frustra Aeolio uentos in carcere ponis/
Ter/ quater & dictos ostendis iure beatos,
Quid supplex Erycina patri mutata ue diuæ
Effigies, uel nube caua contectus Achates/
Illa tot in primis stabulantia faucibus Orci
Quid sibi monstra uelint, quæ tres ex ordine parcæ
Quæ totidem furiæ/ quod Rami diuitis aurum,
Quā pulchrum occulta condant sub imagine uerū,
Trux auis, unda fugax, uolucris rota, pēdula moles,
Ac reditura silex, & futilis urna sororum/
Quæ rabidi tria colla canis, quæ cruda senectus
Remigis, Elysiæ quæ pigra obliuio Lœthes,

Cur nouies fusam metuant styga fallere diui.
Cocytus lachrimis, Phlegeton cur igne redundet,
Per geminas diuersa uolent cur somnia portas.
Nec Smyrnæa minus belle penetralia pandis/
Qua tenuit Syren: qua ui Tytanida uertit/
Qui ueneris Cestos/ triplicis quæ flamma Chymeræ
Quid Iouis adiutor Briareus deiectus ab alto
Mulciber, inclusus cauea grandæuus ahena/
Aethiopum mensæ/ cum cōiuge Tethyos ire
Aurea quid signet pendens ex æthere funis/
Talia dictantem pronis te aurita iuuentus
Sensibus attendit, Sic cum Lesbous Arion,
Dorsa recurua premens mediis tinniret in undis
Dulce melos/ toto cātu commota profundo
Monstra maris/ sæuos damnarunt mitia nautas/
Sternuntur fluctus/ rupto caput excita somno
Phoca leuat/ nec tarda ducem balæna moratur/
Raucum Nereides rident Tritona proteruæ,
Non Acim Galathæa gemit, non mater Achillem/
Nec pius Inoæ meminit melicerta ruinæ,
Non centum saltare uetant Aegæona nodi/
Fatidicus protheus stat motu immobilis uno.
Nec uitasse uelit mutantia gramina glaucus/
Iam silet/ Isthmiacis siccat iam solibus udos
Ille sinus, & adhuc feruent freta lata choreis/
Ipse dies pulcro distinguitur orbe laborum,
Mane salutatis petitur schola publica diuis,
Socratis antiquo nil concessura Lyceo,
Tot iuuenum clara fulget stipata caterua.
Vergilius primum legitur, uel proximus illi

Quilibet, hunc sequitur qui contudit arma togatus,
Aut implere uicem Ciceronis idoneus alter,
Exin uicinam conscendis principis aulam,
Hic te Nicoleos audit Leonellia proles,
Ac morum simul, & studiorum insignia sumit,
Talis Aristoteles rerum secreta docebat.
Pellæum iuuenem, quibus ille accensus in omnis
Extendit terras animos, nec digna magistrum
Destituit merces, nam cõpensante Philippo
Instaurata manent precium Stagyra laboris.
Post reditum prandere datur, gula dicere possit
Quod modicũ, natura satis, post prandia rursus
Lectio codicibus miscetur Graia Latinis,
Ac uariæ sub te certantur iudice lites,
Donec in occiduum declinet Cinthius axem.
Hæc inter cunctis late tua ianua tota
Luce patet, notæ deseruit uespera turbæ,
Quã tecum domus una tenet, nõ tẽporis illic
Incassum momenta uolant, sæpe exule somno
Ad pinguis longa uigilamus nocte lucernas.
Aethereis nostros astris mirantibus ignes.
Agmine tu medio sublimis uel noua dictas,
Vel dictata iteras non intellecta, paratus
Quesiti decies enigmata soluere nodi.
Sed minus est, cultas abste ꝗ discimus artes,
Plus ꝗ uirtutes, procul hinc Malesuada libido,
Improba rixa procul, sic te sub preside cuncti
Degimus, æditimos templis ut degere phas est.
Tanta quies animis, ea casti cura pudoris.
Vidi ego non unum, quem perditus ante ferebat

Transuersum luxus, postq̃ tua limina dextris
Contigit auspiciis mores posuisse sinistros,
Vt quondam audito Polemona Xenocrate dicunt
Corruptum subito uitæ mutasse tenorem,
Scilicet a fructu felix agnoscitur arbos,
Lœta probat messis q̃ pingui creuerit aruo,
Haud aliter qualis tua sit doctrina patescit
Discipulis Guarine tuis, non Daunia tantos
Olim terra uiros, nec diues Ionia fudit.
Sicana, Cyrene, uel Nilo interflua tellus,
Quantos in latum sparsisti solus in orbem,
Inde duplex Venetæ processit gloria gentis,
Barbarus, & plectro celeber Leonardus eburno,
Inde Iouis genitus de stirpe Georgius alti,
Cretæa simili pauit quem lacte sub Ida
Digna polo nutrix, & apes non rauca secutæ
Cimbala purpureis mel congessere labellis,
Hinc ueterum nulli cedens Castellus auorum
Martius, & Latiæ nũc iam lux altera linguæ,
Martius undisono, quem Narnia monte creauit,
Martius æternum iani sub pectore nomen,
Hinc Aganippæo Tobias fonte rigatus
Sed Titus hac ipsa longe perfusior unda,
Seu lituo pugnas, Cythara seu cantet amores,
Intexens Paphiæ laurum Parnasida Myrto,
Clarus & historia satius, nec dignus iniquis
Iam Petrus podagris, & acerbo Lamola lœto,
Multi præterea quorum si nomina quæram
Promptius enumerẽ ueris tibi gramina, fœtus
Autumni, brumæ nymbos, æstatis aristas.

Astra quot in cælo/pelagi quot in æquoræ conchæ.
Quos inter nec me uenientia sæcla tacebunt.
Primus ego Eridani patrium de gurgite ad histrum
Mnemosidas Phœbo ducam comitante sorores.
Primus ego Nisæ referam tibi draue chorimbos:
Ac uiridi in ripa centum sublime columnis
Constituam templum, media Guarine sedebis
Aureus in Camera, picto super iridis arcu/
Insistens lunam, radiis, & solis amictus/
Vt nec Phidiacū miretur pisa tonantem/
Nec Rhodos immani surgentem mole Colosson/
Stabunt & uiuis spirantia signa figuris.
Idæam assimilans coniunx Thaddæa parentem,
Bissenæ iuxta facies tuā sancta propago/
Cælicolum totidem uultus imitata serenos/
Omnis & Europæ sacris operata iuuētus
Suspendet tibi dona tholo, certabit & omnis
Non cestu crudo pubes/nitida ue palestra,
Sed fidibus tentis suaue crepātibus hymnis/
Victores Apio crinem cingentur amaro,
Ipse coronatus uittis/& fulgidus ostro
Inter psallentes candenti in ueste ministros
Pontificis ritu fumos adolebo Sabæos.
Interea has teneræ tibi me sacrare iuuentæ
Primitias, triplici iubet hærens gratia nexu/
Gratia Lethæos nunq̄ potura liquores.
Tempus erit cum iam maturis uiribus audax
Sanguineas acies, & Martia bella tonabo
Ioannis magni, quantis modo cædibus acres
Turcorum obruerit populos, quibus ille profundas

Aequarit ualles tumulis/stet sæpe cruentus
Hebrus, & albentes etiam nunc ossibus agri
Peoniæ, ac mediis Rhodope calcata pruinis/
Nunc te/qua possim tenui modulabor auena/
Ocia forte tibi si quando parua legendi
Festa ue lux, anni ue quies consueta remisit.
Cætera cum solos discurrit turba per agros
Messe perusta genas/pressis ue immunda racemis/
Tu condis, transfers ue aliquid, quod prosit in usus
Cōmunes, & te memori procul inserat æuo,
Aut uernum ad solem cum garrit aprica senectus/
Vel mediis brumæ tenebris, cancri ue diebus/
Cum stertunt reliqui, cella tu clausus in alta
Abrodis digitos/pluteum uel cedis/& atro
Paulatim niueam signas humore papyrum/
Vnde licet tanto curarum pondere pressus/
Plura secuturis animi monumenta dedisti.
Quā qui secreta uacui spaciantur in umbra,
Illa docent structis adnectere nomina uerbis.
Hæc uocum explanant proprias ex ordine uires.
Iungis ad hæc magni fuerit quæ uita Platonis.
Blandus adulator rigido quid distet amico.
Missa nec in leuibus uenatur epistola nugis/
Sed semper studiis aliquid, uel amoribus affert,
Hæc etiam possim multorum æquare libellis/
Quæ seris in cathedra, uel si qua ex tempore profers,
Sin meditata sonas, fundūtur pectore ab uno/
Isocratis numeri, Xenophontis gratia/torrens
Isæi/cultus Lisyæ, Demosthenis ardor.
Qualem te ingenuas laudantem audiuimus artes.

Cum pridem Octobres studiorum exordia nobis
Restituere Idus, & misso in dolia musto/
Garrula solliciti rediere ad scamna comati/
Quis tunc musarum sacris non ignibus arsit?
Quem tuus Aonio non impulit Euchius æstro?
Aut qualem rapti nuper te in funere diro
Principis orantem tristis Ferraria sensit,
Tempore non homines tantũmodo luximus illo/
Mite genus, planxere feræ, planxere uolucres/
Mœsta comas nullis excussit flatibus arbor,
Mœsta cauis gemuit plorabile rupibus echo.
Ipsa dolor tetigit cœlestia fletibus auctum
Vix ripæ tenuere Padum, nec largius unq̃
Gemmea populei lachrimarunt succina trunci/
Orphea ab Elysiis remeasse elemẽta putabãt
Vallibus, & nuptæ mortem deflere secundam.
Inachiæ uero tibi tanta peritia linguæ,
Vt sacer haud alio traduci interprete malit
Plutarchus/ chartis ne plus se agnoscat in ullis/
Ambiguus patrio ne magis sermone nitescat,
Siue rudimentis pueriles instruit annos/
Siue alterna ducum cõmittit facta priorum/
Iste tamen iuueni dederat præludia quondã/
Maiorem natu magnus nunc Strabo fatigat
Pontificis summi iussu, quæ gaudia pubis
Pieriæ, cum iam supremum rasus ad unguem
Cedron olens, minioq; rutilans & pumice lænis.
Seruantis tandem loculos euaserit arcę
Felices annos, felicia nostra profecto
Tempora, quis tantũ duce te cognoscere primis

Auctorum licuit, quo non diffusius alter
Explicat, inclusum Neptunus ut ambiat orbem/
Quo de fonte ruant medias dirimentia terras
Aequora, uicinis quæ nam discrimina regnis/
Qui passim populi/ syluæ, iuga/ flumina/ portus/
Oppida, quo quæuis fluitet circũsona ponto
Insula/ distantũ quæ sit mensura locorum,
O qui nosse cupis quidquid de Tethyos undis
Eminet, alcides quantum, uel liber obiuit/
Hoc lege creber opus, brumales hæc tibi somnos
Contrahat, & multum mẽbrana absumat oliuum:
Quod si Cecropiis nõ summus in artibus esses,
Primus eras, reliqui uel te didicere magistro,
Aut in discendo tua sunt exempla secuti/
Præcepta & multis tribuisti, exordia cunctis.
Nec quisq̃ norat Cadmæa elementa latinus,
Ante tuũ in Thracas felix iter, at modo nemo
Iam Syciona petat, fabricatricẽ ue Corynthum/
En habet in mediis illud, quod quærit Hetruscis/
Italia ut per te maior sit Græcia/ rursus
Ac redocere rudes sua dogmata possit Achiuos/
Ergo quæ reliquis contingunt singula/ solus
Iuncta tenes, & plena datur tibi summa bonorũ/
Sunt qui scripta animo penetrant aliena sagaci/
Ipsi nulla queunt inopi deducere uena,
In latebris aliqui non sane uilia cudunt,
Sed coram densis nil hiscere cœtibus audent.
His latia claris lingua deest Graia facultas/
Vel si forsan adest/ non sic ut uertere possint,
In te concurrunt simul omnia, nec prior ullus

Auctorum arcanas penitus deprendere mentis,
Reddere Romana Danaum grauitate leporem.
Dicere uel nexa pedibus, uel uoce soluta.
Quæ duo uix unq̄ tribuit Caducifer uni.
Vatibus & cum sit uel simplicis ardua metri
Gloria, tu pariter quæuis in carmina promptus.
Nunc grauis Heroo graderis, modo curris Iambo.
Nunc tristis elegos, modo læta Anapestica ludis.
Quidam nil aliis tradunt, cum plurima norunt,
Seu liuore aliquo, seu quæ sit norma docendi
Ignorant, fugiunt seu tedia dura laborum.
Hæc tua præcipue laus est, quippe haud tibi credis
Te soli genitum, sed toti protinus orbi.
Viuentes hinc ore mones, per scripta futurus.
Vt iam uni triplex æque tibi debeat ætas.
Præterita, extinctos ueterum q; reddis honores.
Postera q; calamo, presens q; uoce laboras.
Pro quibus officiis doctorꝶ iure uirorum,
Te chorus omnis amat, reueretur, laudibus ornat,
Tu pater, & princeps, tu censor, & arbiter illis.
Si quādo dubiis discors sententia pugnat
Iudiciis, fastu nec sic tumet ullus inani,
Vt non esse tibi se prædicet ipse secundum.
Tres te Arretini, lusci duo, Poggius unus
Suscipiunt pariter, q̄uis laudatus ab illo
Scipio Cæsareis te uindice cesserit actis.
Te uictorinus ueneratur: & ipse Philelphus,
Sfortia qui laxis cecinit modo prælia neruis.
Rupibus & sparsos decorans Vegetius histros,
Te placidi uates clarium ceu numen adorant.

Te colit, & tantis e milibus approbat unum
Nec tua dicta unq̄ stellis, uerubusue notauit
Corrector ueterum, contemptor Valla nouorꝶ.
Me tamen haud quaq̄ tua tam facundia præstans,
Quā perfecta mouet uirtus, & desino linguam
Mirari nimium, quoties consydero uitam,
Eximium q̄uis adeo sanctissima uincit
Eloquium probitas, & cedunt moribus artes.
At bona pars uiciis animi decus oris opimi
Inquinat, & quanto doctrinæ luce refulget,
Tantum criminibus sordet polluta nephandis.
Prima tibi est semper magnorꝶ cura deorum,
Quos te præ cunctis mortalibus unice amantes
Aequali pietate colis, mox ipse colendus
Proxime post superos hominū, quos rite ferino
Aeuum agitare uetas, quos ore, & corde politos,
Ac uere facis esse homines, quin morte subacta
Vincere fata doces, & iter super æthera monstras.
Nec te unq̄ trepidæ rapuit rubor impetus iræ.
Quin etiam dentes passus liuoris iniqui.
Carpentum nunq̄ potuisti carpere mores.
Nec tua in alterius ualuit facundia famam,
Ausoniis hodie uicium cōmune disertis.
Sed semper facies hilaris tibi, mixta lepori
Semper inest grauitas, ac mitis ruga seueræ
Frontis, & in læto non dura modestia uultu.
Inter discipulos, & charos inter amicos
Iucundi sine felle sales, & melle faceto
Conditi, nec rus sapiunt tua dicta, sed urbem.
Qualia Cecropiis olim sonuere Theatris.

Quæ doctus magni præferret Tyro patroni
Lusibus, & prompti mallent struxisse Lacones,
Haud tamē idcirco tibi disciplina tuorum
Laxior, horrescit rigidos domus intima frenos.
Ac famuli dominū, nati nouere parentem.
Quos tu temperie tali moderaris, ut illos
Non premat asperitas, non indulgentia soluat.
Hinc animis uigor, & probitas, hinc pectora sacris
Culta deo studiis, & ne morer, omnia patris.
Sed longe ante alios minimus de stirpe uirili
Eminet, & fratres tantum baptista uerendos
Ante uenit, quantum reliquis intermicat astris
Syrius, aut uersans plaustrū glatiale Bootes.
Iam cathedrā doctor, iam scandere pulpita Rhetor
Audet, & intentas fando suspendere mentis,
Plausibus exultant ædes, aut templa deorum,
Dum fauet, & iuuenem laudatrix contio flammat.
At tibi prædulces rumpunt pia gaudia fletus,
Non secus ad patrium carmen gentile Caystrum.
Cum tener edidicit defecti pullus oloris
Tentat & ipse modos, nec iam genitore canora
Deteriora crepat, tum protinus agmine denso
Mirantum septus uolucrum candentibus alis
Tollitur, & dominū quærit super æthera Phœbum.
Ille uolat pulsæ resonant modulamine nubes.
Sed nec munificum quisq̄ neget esse, ꝙ amplas
Haud dispergis opes, contentus & ipse pusillo,
Quod non ulla tuo fremitant spectacula sumptu,
Nec Paron imminuūt tacturæ sydera moles.
Quod tua plaudentem non pascūt horrea uulgum.

Nec populare placet rapiendos mittere nummos,
Non ideo non tu longe diffusior illis,
Quos tam uana iuuant, donis meliora caducis
Te tribuente sui carpunt Guarine clientes,
Quæ saturent auidas indeficientia mentis.
Nec senio ualeant aboleri, aut fulmine frangi
Ad furum secura dolos, & tela latronum,
Hæc tu dispensas, hæc tu partiris in omnes,
Tam iusta trutina, nulli ut sua portio desit.
Sed referat quiuis quantum capit archa cerebri.
Tam tenui precio, nemo ut nō soluere possit.
Multi quippe tibi nulla mercede docentur.
Omnes exigua, quanq̄ quæ digna Camœnis
Pensio? quis totum uirtuti æquauerit aurum?
Quod Scytha, qđ Bessus, qđ arabs, qđ cōgerit astur
Quid memorē parcæ frugalia fercula mensæ?
Ingenium simul, & neruos ledentia puris
Vina domas lymphis, ac sola more uetusto
Contentus cœna, uix unq̄ prandia nosti.
Quæ tibi sobrietas hos plane contulit annos.
Vt iam bis decimi tangens confinia lustri:
Non pede, non oculo, non sensu debilis ullo,
Purpureum clara serues cum uoce colorem.
Viue precor quantum nō ipse Gerenius heros,
Quantum non Phœbi uolucris, rediuiua nec hausto
Puluere mensa suam uirgo Cumæa senectam.
Vel potius grauior quoties accesserit ætas,
Vernantem primo reddat tibi flore iuuentam
Diua ministratrix æterni nectaris Hebe.
Nec te præ nostro capiat pater inclyte mundo

Elysium ue nemus, uel cœli tertius orbis.
Qua rarus uisu Cyllenes errat alumnus,
Sed sis perpetuus studiorum presul, & istis
Mersarum in tenebris animarũ publica lampas.
Dum seruant elementa fidem, dum sydera currunt,
Hæc studia, hic om̃is uitæ tibi cursus in annos,
Hæc clara humanũ merita in genus: inde per orbem
Victurum mundi dum stabit machina nomen.
Salue magne parens cunctis decus addite sæclis.
Optime doctorum: doctissime salue bonorum,
Salue instaurator Latiæ, reuocator Achiuæ
Pallados, ipsa tuis titulis Euandria mater
Cesserit, Arcadio uates afflata Lyceo,
Illa bis octonas latio intulit hospita formas,
Quas quondã Tyrius Grais monstrauerat exul.
Tu quicquid ueterum dederat solertia patrum
Reddis, & in lucem longa e caligine promis,
Qui nisi prostratas releuasses funditus artes,
Priscorum uanus staret labor, alta Quirinus
Fundauit Romæ: reparauit regna Camillus.
Sed tantũ ambobus maior tua gloria, quantum
Cædunt arma togæ, concedit laurea linguæ.
Nec postq̃ proferre potest spaciosa uetustas,
Qui plus præstiterit populis. Thyrinthius heros,
Pestiferis terras purgabat, & æquora monstris.
Ille & nigrantis custodem cerberon Orci
Tergemina totidem religatum colla cathena
Ostendit uiuis, & sydera ferre coegit.
Per te Barbaries, qua nullum tartara monstrum
Tetrius ima ferunt, supera de sede fugatur

Eminus, & stygias iterum gemit acta sub umbras,
Immensus nil sole gerit præstantius orbis,
Sol Iouis est oculus, mens mundi, lucis origo,
Rerum temperies, cor cæli, spiritus æthræ,
Astrorum dominus, mensor reuolubilis æui.
Sensilium sensus: uiuentum uita, propago
Nascentum, largitor opum, largitor honorum,
Telluris pariter coniunx fœcundus, & unde,
Fatorum rector, deus idem summus, & omnis
Phryx licet hũc Atym Phœnix hũc dicat Adonim,
Hinc Persis Mytram, Pharos inde Serapin adoret.
Pana colit tegeæ, memphis deploret Osyrim,
Verum Pœonia quãuis leuet arte dolores:
Quãuis ille suis illuminet omnia flammis.
Sæpe tamen tristi feralia tela sinistra
Iactat, & optenta radios abscondit in umbra,
Sæpius hyberno decliuis frigore torpet,
Semper & obscuræ iussus decedere nocti,
Inuidet alternam superis fulgere sororem,
At tua lux animos, non segnia corpora lustrat,
Nec scit defectum, nec tempore languet in ullo,
Noctibus, & roseis simul irrestincta diebus,
Curat & assidue, quos fert inscitia, morbos.
Haud igitur sine mente quidem, sine numine diuum
Crediderim talem, te nostra in sæcula natum.
Nam tua Lucinæ cum iam pia uota potenti
Conciperet genitrix, & plenis mensibus infans
Viscera maturo premeres genitalia partu,
Orbe procul medio qua Pegasis ungula sacras
Fodit aquas, geminis & cornibus æthera rumpit

Deucalioneis Parnasus in obrutus undis.
Mœstior ad mœstas Clio sic orsa sorores.
Cum bene Germanæ uariatia supputo mecum
Tempora/uicinus cineri nimis esse supræmo
Mundus, & a ferro iam degenerare uidetur/
Nam licet in Calibem defluxerit aurea quondam
Vita patrum, tamẽ egregios uel pace, uel armis,
Omnibus in terris late generabat alumnos.
Haud quaq̃ nunc uis eadem mortalibus ægris.
In procera ferunt hebetis sed corpora sensus.
Nec longum numeri fatalis uincula durant.
Interea praui mores, peruersa uoluntas
Segnibus ingeniis, & in actus prona nephandos.
Spernit turba deos, ac uana tonitrua ridet.
Nec putat ad Siculos sudare Pyracmona folles.
Sed non ulla magis, q̃ nos despecta per orbem
Numina, multus adhuc Cererem ueneratur arator/
Multus adduc spoliis bellator Martia ditat
Templa, nec artifici desunt sua dona mineruæ.
Fulmineos dentes/ramosa ue cornua cernas
Postibus in Triuiæ/Neptuno littore in omni
Votiuæ pendet tabulæ/tibi mater amoris
Centum uel sola fumant altaria Cypro.
At nobis iam nullus honos, cõmunia nusq̃
Herculeis delubra focis, secreta ue saltem
Syluarum, & rigui per amœna suburbia fontis.
Hos pridem in saltus toto uelut orbe fugatæ
Cessimus, hinc etiam pellit nos Barbarus hostis/
Ignotos postq̃ phryxæa per æquora Turcos
Fraterna æoi traxit discordia regni.

Heu pietas/heu prisca fides/nunq̃ ne resurget.
Clara sub obscuris facundia mersa tenebris?
Nunq̃ ne ingenuæ remeabunt amplius artes?
Quid uiles nobis genitor pro nectare lymphas?
Quid cæli pro luce dabas horrentia tempe?
Quas modo sacrilegus tentet uiolare Pyroneus.
Nunc inhonora uocent raucæ in certamina picæ.
Iam tandem emeritis requiem iustissime diuum/
Ac pacem largire poli, quo dignior astris
Erigone, & nitidi bis septem lumina thauri
Sin minus, immitis patrui regna atra petemus/
Qua soror infernos seruat proserpina lucos.
Inter & Elysias ueterum spaciabimur umbras.
Cultorum, exangues sine uoce, & corpore uultus.
Nulla adeo in uiuis si tam solatia restant.
Talia dum queritur procul aspicit archada fratrem/
Cerula prepetibus scindentem nubila plantis/
Ille ut Cyrrhæo paulisper colle resedit,
Castalios latices inuisit/& antra dearum/
Non illis Citharæ, non serta uirentia cordi/
Plectra silent/disiecta solo crinalia marcent.
Ergo ubi siue ultro (nam quid nõ sentiat Hermes/)
Agnouit causas, seu forte docentibus ipsis/
Cognatum tali solatur uoce dolorem,
Soluite tristiciam/luctus remouete sorores.
Gaudia certa fero, nam cum modo forte recentes
A bustis animas pallentem duco sub orcum/
Ast alias iterum post lustra ducenta reduco
Ad superos, & bina frequens per limina curro,
Vidi exultantes gemina de gente disertos

Tot ueterum manes, q̄ iam meliora redirent
Tempora/ cum studiis, florerent omnia priscis,
Vidi secreto uasta in conualle recessu
Cum genio, & uita parcas, & morte sedentes,
E quibus una retro flexa ceruice silebat/
Altera prospicuũ speculi intendebat in orbem/
Tertia prospectu lustrabat inane Baratrum,
Ducere cum subito uarias cœpere choreas/
Atropos in Zephirũ uestigia mouit ab Euro.
Simpliciore gradu, cui protinus obuia Clotho
Multiplici torsit septena uolumina gyro,
Ambabus similes Lachesis dedit ultima gestus.
Tunc has diuino sanxerunt carmine sortes.
Candida in auratis uoluentes Licia fusis.
Quãta fuit magnus Romã dum Augustus habebat
Tanta per Europam doctorum turba redundet,
Tu uero Oenotriis puer olim debite terris
Nascere, tantorum princeps, & causa bonorum.
Per te facundas iamdudũ muta loquelas
Ora dabunt hominũ, tu uitæ mortua reddes
Nomina, tu nati reuocabis ad oscula matrem,
Nascere, sic rerum leges, sic Iuppiter urget.
Hæc cecinere deæ, uoces natura dearum
Ferreis in tabulis adamante notauit acuto.
Nonne uides eadem totus portendat ut æther
Vraniæ numeris sibi respondentia faustis/
Quã bene fatorum concordant sydera pensis:
Quare agite exterso mœroris surgite lætos
Squallore ad Thyasos, iuuet in Pœana canorum
Contentas rupisse fidis, tibi tibia fletur

Euterpe/ & biforis Tritonia fistula Buxi,
Argutos digitis Erato tu percute neruos/
Tu graue Melpomene tu molle Thalia sonato/
Omnia Calliope concentu temperet uno/
Nunc & Pyrene, nunc & Lybetrides undæ
Ambrosia scateant, lactis Permesia riuos
Ripa det, Aoniæ reuirescãt largius umbræ.
Quod si quæ tanto decoretur germine tellus
Nosse ferunt animi, non longa ambage docebo.
Vrbs est uindelicas qua plana assurgit in Alpes
Italia, & patulos Atesis uagus exit in agros,
Verona auctorem referens cognomine Bernum.
Diuidit hanc fluuius, sed ruptum ponte quaterno
Continuatur iter/ medio sublime Theatrum
Eminet, & longe templorum culmina uincit.
Inde olim uestrum scitis prodisse Catullum.
Plinius inde satus, sed nunc uenit altior illi
Gloria, scabigeris nec se iactauerit æque
Regibus/ & magni canis armipotentibus actis,
Illic iam toti reboant genialia montes
Carmina/ iam glauca præuelat arundine crinem
Mincius/ & uitreo gestit Benacus in Antro/
Dum modo laxatę fusum de uentre parentis
Ipsa liquore sacro fouet Ilythia Guarinum/
Fasciola ligat ipsa manus/ & crura nitenti.
Audio Menalia salientis pana cicuta
Hortantem Satyros, plenis, & flore Canistris.
Ludentes uideo circum cunabula nymphas.
Vos mora lenta tenet/ nũc o/ nunc ite citatis
Gressibus, & cupidis ereptum auferte Napeis/

Velate Aerio nymbi rutilantis amictu
Quis Charytum gremiis, uestro quis dignior infans
Vbere, Iantheos iam nunc sine reptet ad amnis
Paruulus, & Phœbo uelit aduagire canenti.
Sic ait, & dictis parent Heliconides ultro.

FINIS.

CARMEN EIVSDEM IOANNIS DE ARbore fœcunda. Ab Adriano Vuolfhardo, & Hieronymo Vietore repostum.

Arbor fœcunda loquitur.

Illa ego quæ recto cœlum modo uertice adibam
Arbor, humum paruis Verro cacuminibus:
Nec me externa grauant alienæ pondera molis,
Sed premor infelix fœtibus ipsa meis,
Euertere alias cum sæuis fulmina flabris,
Fertilitas nobis exiciosa uenit,
Mansissem incolumis si non fœcunda fuissem,
Nunc iaceo propriis obruta pignoribus:
Nec iam aliud superest nisi ut atra cæsa bipenni,
Ingerar igniferis officiosa focis,
Quod nucis est peior mea sors, ego ledor ab ipsis
Fructibus, ob fructus leditur ipsa suos,
Hac mercede fuit genitrix Agamemnonis uxor
Vel quæ cœlatum misit in arma uirum:
Talia de natis referent si præmia matres,
Sacra ubi naturæ iura potentis erunt,
Scilicet hec ratio est uoluit dum gignere nupto,
Vt medio crescens uentre necetur onus,

Dira utinam nostros cussissent frigora flores,
Cum primũ pladido germina uere dedi.
Aut ubi mox teneris stabam densissima baccis.
Ventus abortiuas diriguisset opes:
Præberem uacuas estum uitantibus umbras,
Maximus hinc platanis conciliatur honos:
Quos ego proceri moneo pulcherrima trunci
Ligna, quibus late brachia longa patent:
Pinniferam cultis laudem ne quærite in hortis,
Sit uobis sterili fronde uirere satis:
Poma grauamen habent & se gestantibus obsunt.
In uacuis foliis forma decoris adest,
At tu qui transis furcam supponere lapsæ
Ne pigeat, stratas & releuare comas,
Sæpe peregrinæ fouit clæmentia dextræ
Tristitiam, agnata uulnera facta manu:
Ergo aliquod miseris fulcimen subyce ramis,
Forte quod hinc carpas, quum remeabis, erit,
Sic leue quod portas sit onus sic ipse tuorum
Nil unq̃ possis de pietate queri.

FINIS.

Adriani Vuolfhardi Trãssyluani Exastichon, in Zoilum & Ardelionem.

Dente Theonino laceres ne carmina uatis
Liuor edax, Scazon quo minus arma ferat,
Si secus, astra poli quot habent, & littora fluctus
Curua maris, pisces quotq; propontis habet,
Tot tibi quæq; dies pœnas & quælibet huius
Hora ferat uitæ, Plutoq; post obitum.

Viennę Austrię in ędibus Hieronymi Vietoris, & Ioannis Singrenii. Anno. M.D.XII.

AQVILA LOQVITVR.

Vnguibus exagitat uolucres Iouis alis acutis.
Ast ego Tartareum persequar usq; genus.

